DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GUALTERUS GRAHAM,

SCOTUS:

CHIRURG. ET SOC. REG. MED. EDIN. SOC. ORDINAR.

——— Sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, et haerens
Ardenti stomacho.—Juv. *Sat.* III.

Ad diem XXIV *Junii, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT CAR. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCIX.

VIRO EXIMIO

CAROLO GULIELMO

COMITI DE DALKEITH

BENEVOLENTIA ANIMI, VITAE INTEGRITATE,

MORUM ELEGANTIA,

ALIISQUE VIRTUTIBUS,

QUAE HOMINEM EXORNANT

EXIMIE CONSPICUO;

HOC TENTAMEN INAUGURALE

MEMOR BENEFICIORUM MULTORUM

D. D. C. QUE

AUCTOR.

NEC NON

VIRO OPTIMO ET ERUDITO

ARCHIBALDO HEPBURN MITCHELSON

DE MIDDLETON

ARMIGERO,

CUJUS COMITAS, HUMANITAS, ET BENEVOLENTIA

SINGULARES OMNIUM,

QUIBUSCUM NOVISSE CONTIGERIT

ADMIRATIONEM ET AMOREM MOVENT;

OB AMICITIAM CONSTANTER ADVERSUS SESE

ADHIBITAM,

ET CONSILIA VERE PATERNA

UNDE MULTUM FRUCTUS PERCEPERIT;

ET NON MINUS

OB VITAE INTEGRITATEM

QUAM

AMOREM PATRIAE INTEMERATUM,

INSIGNI;

PROPTER BENEFICIA IN SUOSQUE COLLATA

QUIBUS SE DIGNATUS EST,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. C. QUE

GUALTERUS GRAHAM.

DISSERTATIO

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE GUALLERO GRAHAM.

Omnium, quibus corpus humanum objicitur, morborum, qui functiones ejus impediunt, vitaeque flammam extinguunt, nulli, tam lege optimâ, medicorum attentionem sedulam meruere, quam iste cui nomen Dyspepsiae inditum est; non equidem tantum propter ipsius morbi periculum, vel denique ejus adortum frequentiorem, quantum, ob symptomatum catervam ingentem, qua stipari solet, dolorem et anxietatem maximam saepissimè excitantium, quae aegrum mi-

serrimum vexant atque torquent; et denique, ob consensum organi praecipue affecti, cum universo genere nervoso, et insignes, quibus in corpore vivente usus, inservire cognoscitur.

Ventriculus sane nutritionis fons exstat, et virium origo, in quo, scilicet, vigent non solum quae potestates ciborum concoctioni praecipue respondent, verum etiam in quo, primariè, agunt omnia, quae propinantur, medicamenta, quorum brevi affectus, per totum genus nervosum diffunduntur, et sese ostendunt: et quoniam haec demum in ventriculo quodammodo mutentur necesse est, oportet idcirco, eorum effectus, e statu fluidorum concoctivorum, sano prout vel morboso, haud parum pendeant.

Ab hoc morbo, neque aetas, neque sexus, neque anni tempestas, neque temperamentum, homines praestant immunes. Passibus plerumque lentissimis graditur, perrarò atque ad finem lethalem ruere observatur. Aeger attamen,

nisi ars auxilium praebuerit, vitam aerumnis stipatam deget—ab symtomatibus, quae vulgo nervosa appellantur, raro si unquam immunis—quibus sequiores foeminae vexari solent. Morbi equidem nervosi, nunc temporis, in hac regione, adeo frequentes, antequam artifices et alii, vitae genus otiosum agere coeperunt, vix, si unquam, observandi fuere. Priscis denique aevis, quando homines, agros colendo, ferasque cursu premendo, talique labore vitam patiebantur, tales morbi perrarò occurrebant; parique cum hisce passu forsan gradiebantur Doctrina, Luxus, Artiumque cultus. Consensus iste mirandus ventriculum inter et reliquum genus nervosum intercedens, diu scriptorum de re Pathologicâ attentionem sedulam sibi conscivit. Vi in corpore animali adeo insigni, pollet hoc organum, ut mutationes fere omnes, seu sint salutares, sive morbosae, corporis partem quamcunque afficientes, aliquatenus saltem ventriculum brevi afficiunt; e contra atque, stomacho morbo quovis laborante, citius aut serius,

non solum corporis, sed brevi etiam animi functiones impediuntur.

"Hujus enim validus firmat tenor omnia membra
"Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore."

E statu denique organi hujusce in morbis fere omnibus plurima pendeant oportet; pleraque quoniam medicamenta et ea praesertim, quorum effectus maximè subitanei et potentes sunt, in corpus vires exercere videntur suas, ventriculi ope, nulla hujusce organi virium propriorum concoctivorum ratione habitâ.

Neque hicce nexus, ventriculum inter et genus reliquum nervosum intercedens, pathologiae vel minimùm peritos diu latuit. Plurimos systematis morbos comitatur nausea; ex hac atque re, forsan fiat, cur in vernaculo nostro sermone, verbum hocce ventriculi affectionem designans, (sickness viz.) non solum ad hanc, verum et alios et generales morbos exprimendum uteretur. Eae ventriculi affectiones, qui-

bus Dyspepsiae nomen a Nosologicis inditum fuit, valde variabiles observantur, et mederi sunt difficillime omnium fere aliarum quibus medici opem ferre vocantur: et quanquam vitae ipsius discrimen rarius afferant, attamen quoniam voluptates omnes fere auferunt, hunc morbum levare, res momenti haud levis habenda est. Dyspepsiam sequentibus verbis definitam apud CULLENUM nostratem habemus.

"Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ruc-"
"tus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pau-"
"ciora saltem vel plura horum simul concur-"
"rentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine"
"alio, vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium"
"morbo."

Ex tali symptomatum varietate, satis in aprico erit, morbi phaenomena nequaquam regularem sequi ordinem; sed et formam hujus et progressum, valde diversa esse. Ex hac igitur symptomatum varietate, morbi historiam

ideo valde imperfectam fore, nec fere aliae similem, est expectandum.

Dyspepsia aliquando subito paucioribus saltem vel pluribus symptomatum supra recensitorum comitantibus adoritur, plerumque vero passibus lentissimis graditur. Quae imprimis apparent signa, sunt appetitus aliquatenus cibi deficiens, inflatio, gravitatis seu oppressionis circum praecordia sensus, praesertim post cibos in ventriculum jam assumtos, progressu vero fixus, et aliquando pluribus ab assumto cibo horis gravissimus deveniens. Nausea denique et vomitus, et interdum eructiones frequentes, et materiei variabilis, quam aeger iterum deglutiens instar bovis ruminat. Haec signa sese brevi manifestant, neque tamen Dyspepsiam, omni in casu comitantur; adeo demum hujus morbi mira diversitas, ut alii, ventriculo vacuo, alii pleno, plus molestiae experiri solent: alii, organi affecti sensum ponderis levis, alii,

cruciatus molestissimos vixque ferendos patiuntur. Cephalalgia saepe Dyspepsiam comitatur, et alia demum sine normâ symptomata—quae aliis hoc morbo affectis occurrunt, aliisque nunquam: sua quippe cuique corporis constitutio et habitus, quae ex complicatione symptomatum et gradu morbi ejus faciem, ferè ex toto mutare possunt: talia hic enumerare signa vix certe necessarium est.

Omnes corporis functiones aliae, varie quidem, sed plerumque aliquatenus afficiuntur. Constipatio aliquando, atque diarrhoea aliis in casibus urget, aliisque demum hae affectiones secum mutuo alternant.

Lateris dolor acutus est, saepe que pleuritici instar. Corporis calor in genere minuitur, aegerque algoris valde impatiens observatur. Somnus saepe ruptus, linguaque manè praesertim crustâ albâ vel subfuscâ obducta apparet.

Dr. Farrierus signum Dyspepsiae tradit alterum, quod saepissimè sine dubio, in errorem inducere potest, dolorem in hepatis regione nempe qui fixus plerumque, aliquando vero retrorsum, spinamque dorsi versus lancinare sentitur, qui atque ingravescens dolorem humeri dextri excitare solet. Haecce equidem affectio, si cum aliis indiciis una spectetur, aliquam hepatis affectionem indicare videtur, quam attamen aciditati ventriculi duodenique affectioni spasmodicae, potius relegare voluit Farrierus.

Morbo autem graviore aliquando arteriae frequentius micant; syncope, palpitatio, cephalalgia, vertigo &c. adoriuntur. Ex Farrieri observationibus, satis constare videtur, Phthisin Pulmonalem vix si unquam Dyspepsiam excitare, sed hanc pro symptomate, potius quam pro causa istius, habendam esse. Neque denegare, sibi in mente est, quin Phthisis et

Dyspepsia aegrum simul afficiant; plerisque vero in exemplis dyspepsiae symptomata pulmonum morbo releganda esse putat. Mira attamen, inter medicos sententiae diversitas est: haud desunt, qui dyspepsiam hominem minus phthisi obnoxium reddere putant.

Reverà tamen systematis generalis, pro maximâ parte functiones, haud magnopere laeduntur, neque vires multum deficiunt. Cibus enim in ventriculum quantitate aequo majore assumptus, quamvis haud bene ibi concoquatur, nihilominus satis nutrimenti etiam ad pinguedinem praebere aliquando videtur; neque tamen talibus istud robur et corporis firmitudo contingunt, quae ad corpus sanum pertinere observantur.

Quidam dicunt, ventriculi affectiones de quibus nunc loquimur, corpus minus inflammationi obnoxium reddere, et contagionis etiam effectibus plurimum obstare, atque ut supra

diximus, sunt, qui ab Phthisi Pulmonali incolumis Dyspepsiam praestare putant.

Mirum inter corporis functiones et ventriculi intercedere consensum supra notavimus; neque minore vi pollere in animi vires. Hinc qui a ventriculo laborant, maestitiâ, languore, et molestiâ perpetuâ saepissimè vexantur. Brevi aeger negotio omnigeno, et studio impar fit: nec loqui, nec de nihilo nisi morbo quo ipse laborat cogitare potest.

Aeger infaustam malorum prognosin augurare solet; et summâ cum vigiliâ, symptoma unumquodque morbi observat. Imaginatio nunc imperium latum agit, et pristina mens gradatim evanescit—omni fere malo affligitur aeger, cujus vel etiam nomen unquam audiêrit; et ne longior sim, symptomata quae optimè sub hypochondriacorum nomine nota sunt, superveniunt.

DIAGNOSIS.

Varia dyspepsiae signa, conjunctim si perspecta fuerint, luculenter adeo ventriculi functiones laesas seu impeditas esse ostendere videntur, ut vix forsan alicui phaenomena ritè perpendenti, plerisque in exemplis, morbum distinguere difficile erit.

Quoniam autem exstant aliae systematis affectiones, praeter ventriculi ipsius debilitatem, e quibus, plura dyspepsiae symptomata originem suam trahant, pauca de harum praecipuis proferre haud absurdum videtur.

Podagram Atonicam, a Dyspepsia accuratè distinguere nequaquam primo aspectu facile est. Paroxysmo tamen more solito super-

veniente, de affectionis natura, vix dubium erit. Hisce in casibus, historiae, rerumque variarum quae morbo praedispositionem dant, notitia, ad diagnosin formandam, medicum optimè dirigent.

Pylori Schirrus—plerumque affectionem magis stabilem producit, et symptomatum intermissio vix ulla observanda est quod raro in dyspepsia evenit: Vomitus quam in hac, magis frequens, praesertim post cibum assumptum, alvus magis astricta, symptomata omnia graviora, et quod rem extra omnis aleae dubium ponit, aeger onus in dextro latere percipit, et haud raro tumor externo tactui, erudito facillime detegendus prominet.

Hepatitidem Chronicam inter, et hanc affectionem distinguere, haud raro admodum difficile erit. Si hepar equidem magnitudine auctum fuerit, si inflammationem visceris hujusce exceperint symptomata, si dolor humeri

dextri subinde sentiatur, diagnosis satis evidenter patebit. Hasce inter affectiones attamen, iterum, fatendum est, in exemplis haud paucis diagnosin vix ullam formari posse.

Inter hunc morbum, hypochondriasinque vix distinguere posse medicos, minus certe dolendum est, ex hoc quod hae affectiones diversae sint necne, eandem vel quam maxime similem medendi methodum ad se vindicant. Quibusdam equidem placuit signa infra recensenda unam ab altero satis separationem facere. In Hypochondriasi languor, inertia, animus irresolutus, mortis timor, et maestitia, semper adsunt: et absente saepe etiam ventriculi morbo, vel demum praesente dyspepsia, tales animi affectiones sublevantur, vel amoventur. Rarius junioribus contingit Hypochondriasis, amotuque quam Dyspepsia multo difficilior: contra dyspepsia junioribus fere propria, atque annis maturioribus, gradatim evanescere solet. Hisce tamen diagnosticis, nequaquam confi-

dere possumus, potius vero Hypochondriasin atque Dyspepsiam pro uno eodemque morbo habere; quoniam et in uno et altero, ventriculus, secundum Illust: Cullen, eodem fere modo afficitur, iisdemque fere remediis aut similibus curantur. Re it se habente, nequaquam ex gradu symptomatum singulorum vel ex temperamentorum varietate, vel vitae temporibus quibus adoriantur, causae satis esse videtur, cur pro revera diversis, hi morbi ducerentur. Dyspepsiam enim inveniri in omnis temperamenti aetatisque hominibus, et omni etiam symptomatum gradu, vix alicui dubium esse potest. An unquam existat Hypochondriasis vera, in qua scilicet mens sola et non corpus etiam afficiatur, haudquaquam nobis apparet; re quidem ita se habente, vix certe Hypochondriasin inter et Melancholiam distingui potest. Quamcunque demum super hac re opinionem amplectamur, concedamus oportet, hos inter morbos parietem admodum tenu-

em interponi quae atque plerisque in exemplis dilapidatur, res minime difficilis est.

PROGNOSIS.

Morbus de quo nunc agitur haud multum certe periculi secum afferre solet, et ut quibusdam placet ab aliis etiam malis, pro tutamine habendus est. Plerumque attamen curatu difficillimus, et eo neglecto, haud parum molestiae oriatur. Si aeger juvenis, seu vires infractae manent, si morbus breve temporis spatium duraverit, cujusque causa excitans nota et amotu facilis, augurium faustum pronunciare licebit. De aegro e contra, aetate provecto, plurimum debilitato, et cui morbus per longum tempus duraverit, spem recuperationis multo minorem esse oportebit. Quibusdam demum in exemplis notandum est dyspepsiam nullis

remediis levandam, sponte tandem evanuisse: forsan ex variis quas corpus humanum mutationibus subire solet, vel ex hisce, quibus morbi alii violentiores, vel causae quaevis aliae minus evidentes, in ventriculum, vel genus nervosum ediderint, effectibus.

CAUSAE.

Quae homines huic morbo opportunos faciunt, parum perspectae sunt: inter ea tamen recenseri solent, temperamentum sanguineum vocatum, sexus foemineus, aetasque minus provecta. Harum vero contrariae, a dyspepsia incolumem neminem praestare, satis clare edocet omnium fere medicorum experientia.

Ex iis, quae morbum excitant, praecipuas quam brevissime enumerare nunc oportet. Hae

eas quae corpus totum afficiunt, et eas quae solummodo in ventriculum agunt, optime dividi possunt, atque per sympathiam, hoc organon afficiunt. Ad harum priorem classem referenda sunt Theae, Coffaeae, Nicotianae Tabacci foliorum, liquorumque alcohol continentium abusus; quae relaxationem organi denique inducunt, aqua calida in ventriculum assumpta, ciborum copia nimia, in ventriculo cruda indigestaque moles deveniens, nimius emeticorum usus, salivaeque rejectio frequens. Causae generales sunt, varia animi pathemata, praesertim quae deprimentia vocantur, diaeta parum nutriens, vita sedentaria, studia intensa, evacuationes nimiae, ebriositas, aër humidus, &c. &c.

CAUSA PROXIMA.

Varia hujusce mali phaenomena, affectionem virium concoctricum quibus praeditus est ventriculus, plane indicant. Has vires singulatim indagare, haudquaquam certe necessarium est; satis erit tantummodo, hic observâsse *succum gastricum* in ciborum concoctione plurimum valere, atque quoniam ventriculi fibrae musculares, ad contenta propellenda adeo necessariae sunt, satis eluceat oportet, illarum statum prout sanum seu morbosum haud parum ciborum concoctionem affecturum. Dyspepsiae igitur causas proximas, succum gastricum vel quantitate vel qualitate sua peccantem, vel ventriculi filarum muscularium tonum laxatum esse, necessarium est. De succi gastrici qualitatibus, nihil fere novimus, corpore

seu sano seu morboso; nihil igitur de hac re proferre possumus. Quidam sane auctores praetermissa omnino actione fibrarum muscularium, dyspepsiam in toto ad secretionem succi gastrici mutatam retulere. Sine dubio quidem concedendum est, actionem ventriculi muscularem minutam ex necessario succi gastrici secretionem minutam comitaturam, iisdem scilicet causis, et vasa secretoria et tunicam ventriculi muscularem afficientibus. Nobis attamen vix improbabile videtur, eorum affectiones vix omni tempore rationem aliam cum altera certam observaturas esse. Nemo certe emeticorum effectus in stomachum assumptorum, succo gastrico mutato attribuerit; hic enim, anorexia, nausea, &c. hanc secretionem impeditam esse pro tempore indicare videntur: dum muscularium fibrarum actio plane aucta observatur; aliis denique in corporis partibus secretiones auctas videmus, fibrae muscularis tono vix mutato et vice versa.

Ex dictis igitur pateat, succum gastricum minutum vel mutatum, fibrarum muscularium ventriculi relaxationem, vel, et quod fere accedit, ambas hasce conjunctas, causas dyspepsiae proximas nosmet habere.

METHODUS MEDENDI.

Quae remedia ad hunc morbum levandum, et debellandum utuntur, effectus suos bonos edere videntur, quatenus solummodo indicationibus, quae sequuntur, tribus respondeant.

1. Causas amovendi remotas.

2. Quae symptomata maxime urgent, et malum igitur protrahere valent, sublevandi.

3. Tonum ventriculi ipsius renovandi.

1. Ad harum priori indicationum respondendi necessitudinem demonstrandam, vix argumentis opus esse videtur: exemplis enimvero haud paucis, nihil fere aliud supra hoc requiritur, ad morbum superandum. Hac attamen indicatione neglectâ, nihil fere prosunt medicamenta.

Maximi semper momenti erit, cibum aegrae concoctionis rejicere et quod ad quantitatem ciborum spectat, dyspepsiae laborantibus curae haud leve esse debet, de repletione semper cavere, quae omnium causae longe ventriculi malorum, frequentissima est habenda. Dyspepticis plerisque cibus, qui stomacho stimulum levem affert, dummodo nimiâ copiâ non fuerit assumptus, optime convenire solet: hic enim organi actionem salutarem excitat, secretionesque ejusdem adauget. Hinc in

exemplis nonnullis, cibus animalis, salitus et conservatus, commodi haud parum attulit.

2. In hoc morbo multo magis necessarium videtur ad affectionem primariam spectare, quam ad symptomata singularia levanda animum attendere; medicamenta enim quae, exempli gratia, ad acorem, flatum, &c. Signa molestiora levanda propinari solent ventriculi tonum magis minuere tendunt, et hoc modo necessaria demum fiunt.

Emetica igitur alcalina, absorbentia et aromata, summa cum cautela praecipi debent, et nunquam nisi urgentibus quam maxime symptomatis gravissimis. In horum remediorum numero, *quae alvum ducunt* non inclusimus, alvus quoniam adstricta signum vix fere unquam deest, et quod omnia alia morbi symptomata multò graviora reddet; ex *laxantibus* quae ideo plurimum beneficii haud raro derivanda. Ad talia vero remedia confugiendum

est, solummodo quando exercitatio regimenque idoneum non alvum regularem educunt. In genere igitur observare liceat ea remedia optime symptomata corrigere, quae ad morbum penitus conducendum idonea inveniuntur.

3. Tonum ventriculi renovare, momenti semper longe maximi omnium indicatio est, quâ scilicet responsâ morbus brevi evanescit. Ad hanc efficiendam, remedia praecipua Astringentia sunt et Tonica appellata, et omnium longe praestantissimum regimen idoneum. Medicamenta omnia vi astringenti et tonica pollentia, hic enumerare nequaquam erit necessarium. Anthemis Nobilis, Columbo, Quassia, Cortex Peruvianus, Ferrum, Acidum Sulphuricum, &c., seu separatim sive alia cum altero conjuncta assumantur seu demum cum medicamentis ad symptomata quaedam molestiora levanda, harum classium remediorum inter optima, recensenda sunt.

Exstat aliud remediorum genus quae corpus universum et a fortiori ventriculum indirectè roborant. Haec sunt exercitatio, frictio, et balneum frigidum nullo magis quam in hoc morbo, magis utilia. Hisce vero perseverandum, ut haud per breve temporis spatium non solum currente morbo, verum etiam postquam symptomata omnia evanuerint. Quod ad ciborum naturam spectat, quibus vescitur dyspepsiâ laborans, super hac re vix tradi potest regula generalis, quoniam a pluribus unicuique aegro propriis haud parum pendeat oportet; ad quae omnia veruntamen ut medicus attendet, maximi semper momenti erit. Pluribus in exemplis, uti jam diximus, cibus animalis minus recens, dummodo non copia aequo majore assumatur, optime convenit; neque laesit plerumque modica liquorum fermentatorum quantitas cerevisiae (porter) praesertim et vini quae certe spiritibus ardentibus quantum dilutis plurimum anteponenda sunt. Tali regimine certius multo depellitur morbus quam omnibus

medicamentis, quippe cujus effectus durabiles sunt, neque veluti plurium medicamentorum, non semper similes. Regimen equidem simile, unicuique aegro nec eidem aegro temporibus diversis nequaquam convenire supra observavimus, medici vero judicio variari debere.

Remediorum in Dyspepsia, quae uti solent, nulla praestantiora habentur quam Ferri Praeparationes, praesertim Carbonas, dosibus x vel xx granorum, bis terve indies. Sulphas Ferri plurimum etiam commendatur, praesertim cum Cortice Peruviano conjunctus. Ex usu denique aquae fontium illarum mineralium, quae hocce metallum in se habent, optimi aliquando profluere observantur effectus. Neque commodum in hisce exemplis omnino aquae prout medicamento potiùs vero exercitationi, aëre puro animo curis negotiisque vacuo, jucunde vero occupato, referendum est. Variorum animalium succum gastricum, remedio huic morbo fieri posse annuit Sennebier, ne-

que perperam, certe omnino, si SPALLANZANI illust: experimentis confideremus: hoc fluidum a quibus nempe satis clare materiem alimentariam extra ventriculum solvere posse elucet. Si quidem synthesi chemicâ, hoc menstruum educere possemus, (et a quibus scientiae limites definiat), Dyspepsia forsan et morbi haud pauci, brevi evanescet. Quod ad illa Dyspepsiae exempla, quae comitantur animi anxietas, et dejectio, spectat, satis erit observare, quod praeter omnia supra laudata remedia, maximi semper momenti erit, ad aegroti mentis statum, animum ut attendat medicus. Vigenti enim animo omnes corporis functiones vigent, maleque se habente aegrè perficiuntur. Consortia jucunda: cælum mite et aequabile: per locorum amoena peregrinatio: frequens scenae mutatio: itinera, &c.: et morbi curationi, et sanitatis conservationi, non plurimum favere, non possunt.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.